

Kirchliches Verordnungs-Blatt

für die

Lavantner Diözese.

Cerkveni zaukaznik za Lavantinsko škofijo.

Inhalt: 36. Indictio et convocatio Synodi dioecesanæ, a vespere diei 6. usque ad antemeridiem diei 10. mensis Augusti anno, a Christo nato, 1906 faciendæ Marburgi in sanctuario s. Aloysii.

36.

INDICTIO ET CONVOCATIO

Synodi dioecesanæ, a vespere diei 6. usque ad antemeridiem diei 10. mensis Augusti anno, a Christo nato, 1906 faciendæ Marburgi in sanctuario s. Aloysii.



In nomine sanctæ et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus, Solio Pontificio Assistens, Suae caes. ac reg. Apostolicæ Maiestatis Consiliarius Intimus, Doctor sacrae Theologiae, dilecto Clero salutem omneque bonum in Domino!

In Domino dilecti fratres ac filii!



Quum principium et officium meum sit, *prodesse magis, quam praeesse*, Synodum dioecesanam quintam respective quartam legitime indico et ad sacrorum canonum normam convoco in nomine Domini.

Superfluum esse duco, multa facere verba de utilitate deque necessitate congressus synodalis,¹ quoniam animarum moderatores Lavantini, ut arbitror, persuasum habent de magno momento instituti, quod ab ipsis sanctae Ecclesiae primordiis — non modo ab apostolis executioni demandatum, verum ab ipso Iesu Christo traditum atque praeceptum, quum discipulos ad praedicandum misisset, illi vero redeuntes *renuntiaverunt ei omnia, quae egerant et docuerant* (Marc. 6, 30) — ad haec usque tempora, Spiritu Sancto dictante et promovente, incessanter fuit in usu communi.

Ut tempora tantum recentissima tangam, die 18. Septembris 1903 coacta est Synodus dioecesana Grandormiensis.² Mense Septembri 1905 in urbe australiensi Sydney celebrata est tertia

¹ Ingens Synodorum episcopaliū utilitas summo opere celebratur a Papa Benedicto XIV., sanctae memoriae, in egregio opere: De Synodo dioecesana libri tredecim. Romae, 1755. Lib. I. cap. 2. pagg. 5—8.

² Henr. Jos. Richter, Episcopus: Synodus dioecesana Grandormiensis Prima. Big Rapids, 1903. 8°. 201 pagg.

Synodus generalis sub praesidio Delegati apostolici, Eminentissimi Cardinalis S. R. E. Patritii Francisci Moran.¹ — Diebus 21., 22. et 23. mensis Novembris 1905 congregata est Synodus generalis archidioecesis Florentinae, ubi hucusque viginti quinque Synodi dioecesanæ peractæ sunt: prima anno 1327 et ultima 1732. Saeculo decimo quinto et nono Synodi in dicta dioecesi non coadunatae sunt.

Anno dilabente plures congressus synodales convocabuntur: uti Synodus provincialis Salisburgensis, Synodus Mediolanensis, Concilium nationale ad deliberandum de nova organisatione Ecclesiae in Gallia. — Diebus 3., 4. et 5. mensis Iulii anni vertentis congregabitur Synodus dioecesana Ecclesiae Segniensis et Modrušiensis seu Corbaviensis, in qua per saecula eiusmodi conventus (ultimus anno 1589) non est factus.² — In pluribus quoque aliis dioecesibus imperii austriaci necessaria praeparantur ad habendos coetus synodales.

Rebus sic stantibus, quid mirum, si ego sacrum piumque opus synodale, quod anno 1896, Deo favente, incepti, atque annis 1900 et 1903, auxilio divino, porro tractavi, continuem et pro viribus, Deo dante, digne et competenter absolvam.³

Quantum iam lustrum sublimis muneris mei episcopalis inchoavi, trina vice perlustrata dioecesi perampla, et in longo hoc sedecim annorum spatio vita mea, multis a Deo misericorditer cumulata beneficiis, inter prospera et adversa feliciter dirigebatur.

Unde nam sumpserim, si ex me quaeritis, vires necessarias ad grave hoc munus, ipsis angelicis humeris formidandum, rite gerendum, gratissime respondeo ac fateor: Deum Patrem me, suum servum indignum, potenter adiuvisse, Filium mihi refectionem attulisse, Spiritum Sanctum me refocillasse, dum in magnis angustiis, aerumnis et tribulationibus tristem meam animam coelesti repleverit solatio!

Confiteor porro aperte, in administranda qua late patet dioecesi, me vos, amplissimi Domini Capitulares, admodum reverendi Decani, venerandi Parochi atque reliqui omnes boni pastores animarum adiuvisse labore indefesso. Candide contestor ulterius, permultum me plebem fidelem recreasse pietate sua insigni, observantia sincera, oratione assidua.

At singulariter regimen dioecesis, longe lateque patentis, mihi levaverunt tres Synodi, divina gratia opitulante, feliciter celebratae. Ne mihi desit hoc levamen, partem laboris adeo mihi minuens, denuo in nomine Domini, convoco Synodum dioecesanam, ut viribus unitis res dioecesanæ, locorum ac temporum et personarum adiunctis congruas, ex aequo diiudicemus. Quaestiones, quae hodieque commovent dioecesim, Deo duce, solvere conabimur, v. gr. quomodo possit ad iuste solvendam quaestionem socialem conferre animarum curatus? Quid a catechistis pro temporum indigentis requiratur? Quomodo bonis diariis succurrendum? Quomodo cantus ecclesiasticus provehendus, organistae sustentandi et sublevandi, errores grassantes corrigendi et emendandi?

¹ Anno 1885 in urbe Sydney habitum est Concilium plenarium primum et anno 1895 alterum.

² Cfr. Litteras edictales Reverendissimi Dom. Episc. Antonii, Segniae, Kal. April. 1906.

³ Gesta et statuta Synodi dioecesanæ anno 1896 constitutæ et celebratae. Marburgi, 1897. 8°. Pagg. 450+VI. — Actiones et constitutiones Synodi dioecesanæ anno sacro 1900 institutæ et peractæ. Marburgi, 1901. 8°. Pagg. 601+VI. — Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno Domini 1903 coadunata. Marburgi, 1904. 8°. Pagg. 918+VI. — In diversis diariis et foliis litterariis statuta omnium trium Synodorum Lavantarum probata sunt. De constitutionibus synodalibus ex anno 1903 prolixius retulerunt inter alios: Profess. Dr. Ioan. Haring, Die vierte Lavanter Diözesansynode. (Literarischer Anzeiger. XIX. Jahrgang. Nr. 7. Graz, 15. April 1905. col. 217—220). — Michael Hofmann S. J., Neuere Diözesansynoden. (Zeitschrift für katholische Theologie. Innsbruck, 1905. III. Quartalheft. Pagg. 596—598). — August. Rösler C. ss. R., Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana, quam anno Domini 1903 coadunavit M. Napotnik, Pr. Episc. Lavantinus. (Theologisch-praktische Quartalschrift. Linz, 1906. II. Heft. Pagg. 402—404. num. 31).

Caeterum dantur, qui dicant, novarum constitutionum in dies accessione status dioecesis perturbari. Ast necesse non est, ut singulis in Synodis novae constitutiones condantur, sed sufficit, ut antiquarum executio urgeatur. Verumtamen difficile videtur tempore praesenti, quo ecclesiastica disciplina quotidie senescit et labefactatur, inveniri dioecesim, cui opus non sit ulla nova constitutione, qua saltem veteres bonae leges corroborentur quaeque morum corruptela poenae obsoleverunt, utiliter reviviscant.¹

Quae quum ita sint, sacrosanctum Concilium Tridentinum sapienter statuit, quod quidem a sacris canonibus iam dudum praescriptum fuit: Synodum dioecesanam esse celebrandam singulis annis ab Episcopo in sua dioecesi.² Et si necessitas postularet, posset Synodus episcopalis etiam crebrius in anno contrahi.³ Nam coactio Synodi est summe utilis pro moderandis moribus, emendandis excessibus, controversiis componendis, abusibus eliminandis et extirpandis ac normis statuendis salutaribus. Viri, doctrina et pietate praestantes, adeo utiles putaverunt dioecesanam Synodum, ut totam ecclesiasticae disciplinae perniciem ex earum omissione ortam opinarentur. *Nulla pene res, animadvertit Atto II., celeberrimus Episcopus Vercellensis, qui floruit saeculo X., disciplinae mores ab Ecclesia Christi magis depulsi, quam sacerdotum negligentia, qui contemptis canonibus, ad corrigendos ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt.*⁴

Difficultates contra Synodi celebrationem pro viribus superare procuravi et procurabo. »Si namque perutile fuit semper«, scripsit Pius IX., immortalis memoriae, die 4. Sept. 1876, ad Episcopum Viglevan., »Clerum interdum convenire ad constringenda mutuae charitatis vincula agendumque de disciplina, ac tuendis promovendisque Ecclesiae negotiis, id multo opportunius est hodie atque adeo necessarium, dum omnes adhibentur artes ad disgregandos animos, ad Clerum abducendum a proprio Pastore populumque a Clero, ad subvertendas leges ipsamque constitutionem Ecclesiae, ad unitatem plane dissolvendam.«⁵

Episcopus, omittens sine causa canonica celebrare Synodum, incurrit poenas, sacris canonibus sancitas⁶: suspendi potest ab executione officii.⁷ Indubie, non est omnino et absolute necessaria Synodi quotannis renovatio, quum Episcopis, qui ob aliquod impedimentum suas Synodos iuxta Tridentini decretum conciere nequeunt, alii suppetant modi dioecesim gubernandi et Synodi defectus supplendi. Attamen Synodorum celebratio a sacra Congregatione Concilii Tridentini incessanter commendatur et inculcatur, praesertim occasione responsionis dandae ad relationem, super statu dioecesis in visitatione sacrorum liminum ab Episcopo exhibitam.

Ordinarie convocanda est Synodus, expleta visitatione generali universae dioecesis. Ipsa enim praevia visitatio videtur necessaria, ut opportuna remedia malis et pravis consuetudinibus ac corruptelis, quae in dioecesi grassantur, possint applicari. Egomet iam ter perlustravi et circumivi aliam dioecesim et mox quarta vice visitationem canonicam vasti territorii exordiar. Quum indesinens sit cura mea, statum sacerdotalem elevandi ad christianam formam idealem, mores fidelium servandi honestos ac probos, pietatisque sensus augendi, propria et ordinaria potestate, habito consilio et voto Reverendissimi Capituli cathedralis, quintae Synodi dioecesanae celebrationem hisce annuntio et decerno. *Nos, sacerdotes, debemus prius reformari, dein reformabimus alios. Nos ipsos debemus primo*

¹ F. Lucii Ferraris, Prompta bibliotheca. Monte Cassin., 1845. Tom. II. pag. 443. num. 88.

² Sess. XXIV. cap. 2. de reform.

³ F. Lucii Ferraris, op. cit. Tom. II. pag. 436. num. 3. 71—73.

⁴ Apud Benedict. XIV. op. cit. pag. 5 et 6. num. I.

⁵ Acta S. Sedis. 1876. Vol. IX. pag. 433.

⁶ Concil. Trid. sess. XXIV. cap. 2.

⁷ F. Lucii Ferraris, op. cit. Tom. II. pag. 436. num. 4; pag. 443. num. 86. 87. 88.

corrigere, et dein corrigemus dioecesim. Quum iuxta dispositionem iuris ecclesiastici Capitulum cathedrale in specie et nominatim invitandum sit ad sacram Synodum, ideo distincte et peramanter advoco ad indictam et faciendam Synodum Reverendissimum Capitulum ecclesiae cathedralis Lavantinae: Dignitarios, Canonicos gremiales seu actuales et Canonicos honorarios.

Item expeto Plurimum reverendos Dominos: Abbatem saecularem Celeiensem nec non Praepositum Petoviensem; porro Dominos Directores seminarii clericorum et Rectores convictus puerorum; Professores studii theologici dioecesani, Doctores sacrae Theologiae, Doctores romanos in iure canonico, Doctores philosophiae christianae atque religiosae institutionis Professores ac Magistros in scholis mediis et in paedagogiis. Dein canonice requiro admodum reverendos Decanos, Dominos Parochos, Provisores vacantium paroeciarum, Beneficiatos, Catechetas scholarum urbis Marburgensis et omnes sacerdotes civitatis meae residentialis.

Ad synodalem Conventum accedere tenentur et admitti debent solum Curati et Beneficiati, nisi vigeat consuetudo, qua interveniat totus Clerus. In casu, quo in consilio synodali deliberandum sit de reformatione morum vel de alia re, Clerum universum concernente, omnes Presbyteri et Clerici interesse debent. Quum in Synodo renuntiata super talibus negotiis disseratur, desiderem et optem, omnes animarum curatores citare ad proxime habendum coetum synodalem, quod tamen cura pastoralis nullo modo permittit. Propterea ex Cooperatoribus sive Capellanis pro opportunitate unum aliumve designabo, ut ceu delegatus vel mandatarius suorum collegarum in comitiis synodalibus compareat.

Praeter curatos saeculares etiam viri *regulares* ratione curae parochialis ad Synodum accedere obligantur, etiamsi fors Capitulis generalibus subdantur. Concilio dioecesano adsistere adstringuntur etiam Abbates alique Superiores regulares et Praelati inferiores, si per se ipsos curam parochialem exercent. Secus autem, si curam animarum per alium, ab ipsis eligendum, gerant, quia tunc onus accedendi isti soli incumbit, et non Abbati seu alteri Superiori regulari aut Praelato inferiori exempto.

In hoc sensu decenter requiro omnes reverendos Superiores ordinum et congregationum, in dioecesi existentium; omnes Regulares, iurisdictione parochiali curam animarum obeuntes, religiosos Administratores paroeciarum caeterosque omnes et singulos, qui sive lege sive consuetudine Synodo adesse obstringuntur et de facto praecedentibus quatuor Synodis interfuerunt. — Speciali forma charitativa ad plenam Synodum invito reverendissimum Abbatem Trappistarum coenobii beatae Mariae Virginis de redemptione Reichenburgi, Consiliarium consistorialem Lavantinum ac Patronum parochiae ss. apostolorum Petri et Pauli Reichenburgi nec non plebaniae beatae Mariae Virginis Koprivnicae. Confido, Reverendissimum Patrem sua praesentia Synodum condecoraturum vel vero id praestitutum esse per aliquos, de sua familia seu domo ad hoc deputatos.

Omnes et singulos, qui canonice indictae Synodo adstare devinciuntur, praesenti edicto sollemniter et publice advoco, interesse sub gravi impero et omnia, quae ex iure perfici debent, omnibus expleri praecipio. Episcopus potest iuris remediis, per censuras quoque ecclesiasticas,¹ compellere ad interessendum Synodo omnes obligatos Synodo intervenire, id quod hucusque in dioecesi mea, Deo sint laudes, haud necessarium fuit, nec erit, uti in Deo laetus confido. Si autem eorum, quos legitime accio, quispiam iusto impedimento se retentum putaverit, excusationis canonicam causam opportuno tempore ad Consistorium meum deferendam et disquisitioni iudicum excusationum atque iudicio meo probandam esse sciat. Parochi, cooperatorum adiutorio carentes, antequam a suis parochiis discedant, periculose infirmis sacramenta administrent, populumque e sacro suggestu edoceant,

¹ Conc. Trid. sess. XXIV. cap. 2. — S. Congr. Con. in Cremonensi 5. April. 1732 — Bened. XIV. op. cit. Lib. III. cap. 12.

in casu urgente provisionem aegrotantium sive a cooperatoribus vicinis sive a regularibus petendam esse. Iuxta canones semper attendendum est, *ne servitia debita ecclesiis subtrahantur*.

Quia in Synodo dioecesana omnes Synoditae spiritu renoventur oportet, sollerter curabo, ut pietatis fovendae et fervoris sacri excitandi gratia Synodo exercitia spiritualia coniungantur cum communione generali in Sessione ultima. Insuper sanctissimum Dominum nostrum Pium X., unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam gloriose gubernantem, devote orabo, ut et Synodi sodales et fideles indulgentiis plenariis ditare dignetur, quas durante Synodo in ecclesiis, Marburgi erectis et tempore opportuno accuratius signandis, lucrari poterunt.

Ut opus synodale, aequae grave ac salutare, rite incipiat et recte perficiatur; ut Spiritus Sanctus nos omnes repleat donis suis sanctis, in ecclesia cathedrali s. Ioannis Bapt. et in cunctis ecclesiis decanalibus qualibet hebdomada inde a festo Pentecostes celebranda est feria V. *Missa votiva de Spiritu Sancto*. Singuli sacerdotes eisdem feriis Missae inserant, salvis semper rubricis, et quidem ante Orationes imperatas, Collectam *de Spiritu Sancto*. Memor dicti apostolici, quod *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (Iac. 1, 17), obtestor et rogo vos, in Christo charissimi fratres, ut supplices Deo pro fausto successu concilii instantis preces offeratis! Quoniam vero dioecesanae Synodi celebratio multum proderit sacratae plebi, dignum et iustum est, ut ipsa quoque Synodum suis adiuvet suffragiis. Hinc statuo et fieri mando, ut Dominica IX. post Pentecost. et II. Augusti, immediate futuram antecedente Synodum, coram exposito augustissimo Sacramento recitetur *Rosarium gloriosum* una cum *Litaniis de sacratissimo Corde Iesu*, quibus persolutis detur benedictio sacramentalis. Vespere huius Dominicae in ecclesiis parochialibus a hora sexta usque ad septimam campanae pulsantur sollemni modo.

Ego vigore indulti sacrae Congregationis, die 28. Augusti 1903 obtenti, indulgentiam quinquaginta dierum, singulis vicibus lucrandam, concedo eis omnibus, qui, a die promulgationis edicti huius ad finitam usque Synodum, quamlibet ecclesiam seu oratorium publicum visitaverint ibique pie ac devote ter *Pater noster* cum *Ave Maria* et semel *Credo* cum *Gloria Patri* recitaverint pro Synodi felici exordio, prospero eius processu et eventu fructifero. Hac de concessione et insimul de fine, gravitate et utilitate Synodi fideles naviter instruendi sunt.

Caeterum nobis, ad gravissimam rem perficiendam, confidimus fore, ut opportuna abunde suppetant studiorum adiumenta; non defutura, quod caput est, divina, quae humillime precamur, auxilia, certum habemus. Gratia namque divina numquam deest operi sacro, ab homine provehendo, utpote iure merito praedicatur Synodus dioecesana.

Constitutiones, venturae Synodo proponendae, omni quidem sollertia et circumspecto iudicio exarantur nec non in quatuor *Consiliis* ad hoc delegatis provide examinantur, cupio tamen et volo, ut per decem dies statuta elucubrata in cancellaria princ. episc. Ordinariatus prostent eum in finem, ut quisque sacerdos Lavantinus ea legere, expendere et in plagulis adiunctis adnotare possit, quaecumque ei digna esse videntur animadversione. Insuper facultatem concedo curatis animarum, ut ad diem usque primam mensis Iulii volventis anni pandant sua desiderata et vota, in medium proferant suas sententias quoad proxime celebrandam Synodum. Imo omnes in Domino obsecro et adiuro, ut mihi suggerant et suadeant, quidquid in bonum animarum inque ecclesiae Lavantinae splendorem constituendum exoptent.

Appropinquante Synodo, praeparantur pro invitatis Synodi sodalibus apta domicilia in seminario clericali, in convictu ephedorum, in monasterio patrum Franciscanorum, in aedibus Canonicorum, in domo Parochi ecclesiae cathedralis nec non in Episcopio. Omnes synodales liberaliter et honeste tractantur, nanciscendo hospitia gratuita, ut in Synodo paenultima factitatum est. Omnes

acciti secum habeant breviarium, vestem talarem, superpelliceum et birretum. Dignatarii et Canonici suis insignibus, parochi stola rubei coloris decorentur.

Summarium praesentis edicti indictionis et convocationis quintae Synodi Lavantinae, valvis ecclesiae cathedralis et portis synodalis templi s. Aloysii more solito¹ publice affixum, eandem vim habere volo, ac si ipsis singulis, quorum interest, praesentes litterae edictales allatae et denuntiatae essent. In quarum rerum fidem has litteras synodicas propria manu signatas confici ac sigillo episcopali muniri et promulgari iussi.

Vespere diei 6. mensis Augusti, quo sacer consessus incipit, a hora sexta per duos quadrantes campanae omnium ecclesiarum Marburgensium sollemni pulsantur modo; sacellum vero conciliare s. Aloysii more festivo decoretur ad augendam sacram sollemnitatem. Norma et methodus celebrationis Synodi dioecesanæ, canonice modo indictæ, typis evulgabitur ac synodalibus iusto tempore tradetur.

Sub finem denuo cunctos, quorum interest, sub sanctae obedientiae vinculo invito ad contionem synodalem miro Psaltis eloquio: *Ecce, quam bonum et quam iucundum: habitare fratres in unum!* (Ps. 132, 1). Iste sonus ita dulcis est, ut, qui psalterium nesciunt, versum cantent. Tam dulcis est, quam dulcis charitas. Non indiget interprete. Istud dictum aureum, ista suavis melodia monasteria peperit; ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui una habitare cupierunt. Iste versus sonuit per orbem terrarum, et qui divisi sunt, congregati sunt in unum.

Convenite ergo et convolate, in Christo charissimi cooperarii in vinea Lavantina, spiritu prompto, ut abunde gustemus, quam bonum quamque iucundum: *habitare fratres unum!* Summis bonis abundat conventus fratrum concordium ac pacificorum, *quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum* (Ps. 132, 4), id est, illuc misit Dominus *benedictionem suam*, quae est fons omnium bonorum. Quoniam Deo gratissima est concordia fraterna, ideo replet eam copia bonorum omnium, idque non ad breve tempus, sed in aeternum; nam ideo cum *benedictione* mittit ad unanimiter coniunctos *vitam usque in saeculum*.

Huius divinae benedictionis, promissae congregationi fraternae, auspicem benedictionem pontificalem pastoribus et oviculis, curae et vigilantiae meae episcopali concredit, ex praecordiis meis impertior in Domino.

De caetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum! Gratia Domini nostri Iesu Christi et charitas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis! Amen. (II. Cor. 13, 11. 13).

Datum ex residentia princ. episc. Marburgi, die festo s. Isidori, Episc. Conf. Eccl. Doct., die 4. mensis Aprilis 1906.

L. S.

† **Michael,**

Princeps-Episcopus.

¹ Cfr. Gesta et statuta Synodi dioecesanæ anno 1896 constitutæ et celebratæ. Marburgi, 1897. Pag. 15. nota 2.

F. B. Lavanter Ordinariat zu Marburg,

am 15. April 1906.

† **Michael,**

Fürstbischof.